BEDA VENERABILIS. BOETHIUS. GILBERTUS PORRETANUS

Ende 12. Jh . Seite 40r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=496
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



esse nil preter se habet ad mixtum.

Diuersum est tantum esse aliquid et esse aliquid in eo quod est. Illic enim accidens hic substantia significatur.

Omne quod participat eo quod est esse ut sit. alio participat ut aliquid sit.

Ac per hoc id quod est participat eo quod est esse ut sit. Est uero ut participet alio quolibet.

potest. ipsum uero esse nichil aliud preter se habet ad mixtum. hec regula quodammodo precedentis sensum explanat. Ideo namque id quod est participare aliquo dictum est. quomodo id ipsum quod est per habere aliquid preter quam illud sit ipsumque. Est. i. preter quam sit esse quo ipsum est. Vt corpus preter corporalitatem cum ipsa qua est corporalitate habet colorem. Ipsum uero esse iccirco nullo modo aliquo participat. quomodo nichil aliud preter se habet cum eo quo forte fingatur esse in sese ad mixtum. Quinta regula. Diuersum est tantum esse aliquid. et esse aliquid in eo quod est. illic enim accidens. hic substantia significatur. Sicut predximus ea que subsistunt quidam philosophorum dicunt esse solum subsistentiis. et esse aliquid. quibusdam que alia sunt a subsistentiis uidelicet solum accidentibus. Secundum hec usum hoc loco solum subsistens solis accidentibus dicitur esse aliquid. Dicimus enim quoniam id quod est ad aliquid quandoque dicitur esse aliquid in eo quod est. et hoc quoque duobus modis quandoque uero ita simpliciter esse aliquid quod nullo modo in eo quod est. Verbi gratia. Aliquod opus et ereum dicitur et humanum et triangulum. sed ereum et humanum in eo quod est. diuersa tamen ratione. triangulum uero nulla ratione in eo quod est. sed tamen triangulum. Et ereum quidem dicitur esse in eo quod est. quoniam in eo ipso quo est suo scilicet genere dicitur ereum. humanum autem dicitur esse in eo quod est non quidem quoniam sit humanum genere quo ipsum est. sed quomodo hoc quod ipsum opus esse ereum predicatur ideo humanum est quia auctor eius in eo quod est idem genere scilicet proprio humanus est. Si quidem ministro ac per hoc quodammodo auctore homine accessit lapidi calor quo solutus est et ita factus est es. Triangulum uero idem utique opus est dicitur. sed nulla ratione in eo quod est. Neque enim quod est triangulum eo ipso quo est. i. genere suo est triangulum. neque uero ideo quod esse illius id scilicet quo ipsum opus est dicatur triangulum eo quod auctor eius. i. homo sit triangulus. Idoque sola accidente figura quod scilicet nec operis nec auctoris est esse triangulum dicitur. Vnde manifestum est quod diuersum est aliquid esse tantum. i. cui cum pater esse aliquid non potest addi in eo quod est. et esse aliquid in eo quod est. i. cui cum dicitur esse aliquid potest addi in eo quod est. Vere. Illic enim i. cum de quolibet dicitur esse aliquid ita quod non potest addi in eo quod est. significatur esse accidens. i. quo ita esse aliquid dicitur. ut opus dicitur esse triangulum. hic uero. i. cum de quolibet dicitur esse aliquid ita quod potest addi in eo quod est. significatur esse substantia. hec est subsistentia id quo ita esse aliquid dicitur. scilicet uel ipsius esse subsistentia quod proponuntur esse aliquid. ut opus est ereum. uel illius esse subsistentia quo auctore est esse illius quod aliquid esse proponitur. per quod tamen esse illius quam illud ipsum eadem auctoris subsistentia esse aliquid affirmatur ut est opus humanum. Sexta regula. Omne quod est participat eo quod est esse ut sit alio uero participat ut sit aliquid ac per hoc id quod est

v. R.

vi. R.